

PERCUSSOR

Virtutibus destitutus, non sit verus Verbi Diuini Minister, sed mendax? Resp. Verus verbi Diuini Minister dici potest, qui omnia requisita, ipsi inesse debita, habet. In qua significatione impius Minister verus esse nequit. Vel etiam verus Ecclesiae Minister dicitur, qui vera rerum Diuinarum notitia instructus mediante legitima vocatione vere & efficaciter verbum Dei praedicare ac sacramenta administrare potest. Atque hoc sensu etiam memoratis virtutibus destitutum Ministrum verum esse contendimus. Si enim propterea, quod praecēpto huic Paulino non exacte fatis facit, quis verus Ecclesiae Minister esse non posset: profecto in toto terrarum orbe nullus verus inueniretur neque Christianus, neque Episcopus. Tam enim ab illo (a) quam speciatim ab hoc (b) requiritur, ut sit perfectus, cum tamen nemo in hac vita ad absolutam perfectionem adscendere queat. Perinde hoc esset, ac si quis artificem, artis suae bene quidem gnarum, sed praecēptum Pauli: *quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Iesus facite, gratias agentes Deo & Patri per eum*, Col. III. 17. & *quod facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 2. Cor. X. 31. minus observantem, arguere vellet, quod non sit verus artifex, neque opus quoddam vere recteque perficere queat. Atque si Minister virtutibus destitutus mendax est, & verbum Diuinum vere & efficaciter praedicare nequit, quomodo quaeso sacramenta vere & efficaciter administrare poterit? quomodo tunc demum baptismi ac salutis suae quis certus erit? Excipere mihi videtur impurissima Indifferentistarum cohors, sacramenta non esse regenerationis media. At vero quid hoc aliud est, quam execranda dogmata diabolicis erroribus defendere, ac scelera excusare flagitiis? Objicit Ioh. Wilhelm. Zieroldus (c), vere furiosum inter Pietistas nomen, dona administrantia sine sanctificantibus esse non posse, & ipsum Apostolum I. Tim. III. ex donis sanctificantibus administrantia deducere. Sed figmentum hoc est ex veri nominis orthodoxia (si Diis placet) Pietistarum profluens, apertissimae Scripturae literae & non paucis exemplis contradicens. Res in aprico posita est.

§. 10. Verbum *ἐν* & particula *μη* peculiarem considerationem

a) Matth. V. 48. b) 2. Tim. III. 17. c) In veri nominis Orthodoxia Fidelium & piorum per exegetin, 1. Tim. ad Cap. III. §. 36. sqq. p. 10.

De verbo
ἐν
& partē
μη